

SENECĀ LŪCĪLIŌ SUŌ SALŪTEM

[1] Quod maximum vinculum est ad bonam mentem, prōmīsistī virum bonum, sacrāmentō rogātus es. Dērīdēbit tē, sī quis tibi dīxerit mollem esse mīlitiam et facilem. Nōlō tē dēcipī. Eadem honestissimī huius et illūs turpissimī auctōrāmentī verba sunt: 'ūrī, vincīrī ferrōque necārī'. [2] Ab illīs quī manus harēnae locant et edunt ac bibunt quae per sanguinem reddant cavētur ut ista vel invītī patiantur: ā tē ut volēns libēnsque patiāris. Illīs licet arma summittere, misericordiam populī temptāre: tū neque summittēs nec vītā rogābis; rēcta tibi invictōque moriendum est. Quid porrō prōdest paucōs diēs aut annōs lucrificāre? sine missiōne nāscimur. [3] 'Quōmodo ergō' inquis 'mē expediam?' Effugere nōn potes necessitātēs, potes vincere.

Fit via <vī>;

et hanc tibi viam dabit philosophia. Ad hanc tē cōnfer sī vīs salvus esse, sī sēcūrus, sī beātus, dēnique sī vīs esse, quod est maximum, liber; hoc

Seneca (4 BCE – 65 CE), Epistulae Morales ad Lucilium 37

contingere aliter nōn potest. [4] Humilis rēs est stultitia, abiecta, sordida, servīlis, multīs affectibus et sacrissimīs subiecta. Hōs tam gravēs dominōs, interdum alternīs imperantēs, interdum pariter, dīmittit ā tē sapientia, quae sōla libertās est. Ūna ad hanc fert via, et quidem rēcta; nōn aberrābis; vāde certō gradū. Sī vīs omnia tibi subicere, tē subice ratiōnī; multōs rēgēs, sī ratiō tē rēxerit. Ab illā discēs quid et quemadmodum aggredī dēbeās; nōn incīdēs rēbus. [5] Nēminem mihi dabis quī sciat quōmodo quod vult coeperit velle: nōn cōsiliō adductus illō sed impetū impāctus est. Nōn minus saepe fortūna in nōs incurrit quam nōs in illam. Turpe est nōn īre sed ferrī, et subitō in mediō turbine rērum stupentem quaerere, 'hūc ego quemadmodum vēnī?'

Valē.